



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

Concilivm Parisiense Contra Gilbertvm Porretanvm Pictauensem
episcopum congregatum anno Domini MCXLVII. tempore Eugenii papae III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

concutitur, & tamquam imminente ruina totis est nisibus occurrendum, & hac propter vos fidenter quidem, sed fideliter dicta. Subdit autem de his quæ gesta essent in Conuentu illo Carnotensi his verbis: De cetero verbum illud, quod iam, ni fallor, audistis: quomodo videlicet in Carnotensi Conuentu (quonam iudicio satis miror) me quasi in ducem & principem militia elegerunt: certum sit vobis, nec consilii mei, nec voluntatis mea fuisse vel esse, sed nec possibilitatis mea, quantum melior vires meas, peruenire usque illuc. Quis sum ego ut disponam castrorum acies? ut egrediar ante facies armorum? Aut quid tam remotum a professione mea, etiamsi vires suppeterent, etiamsi peritia non deesset? sed neque hoc meum est vestram docere sapientiam, nostis hac omnia. Tantum obsecro per illam caritatem, qua mihi specialiter debitor estis? ne me humanis voluntatibus exponatis; sed, sicut singulariter vobis incumbit, diuinum consilium perquiratis, & operam detis ut sicut fuerit voluntas in celo, sic fiat. Hucusque ad Eugenium papam sanctus Bernardus, in spiritu quidem ardoris eum hortando, & spiritu humilitatis eius consilium rogando de his quæ essent agenda.

Sanctus Bernardus eligitur bellidux primarius.

ANNO
CHRISTI
1146.

CONCILIVM PARIISIENSE
CONTRA GILIBERTVM PORRETANVM
Pictauesem episcopum congregatum anno Domini
MCXLVII. tempore Eugenii papæ III.

ANNO
CHRISTI
1147.

NOTA.

Causa & acta Concilii.
Porretanus quis & qualis, quæve eius hæreses.
Causa Concilii.

Concilium.] Causam & acta Concilii, personam, mores & dogmata Porretani describens Otto Frisingensis libro 1. de gestis Friderici primi cap. 50. & nonnullis sequentibus ista refert quæ sequuntur: Igitur ut ad id, a quo digressa fuit, redeat oratio, prætaxati archidiaconi, adscito sibi tanta auctoritatis & estimationis viro abbate Bernardo, episcopum Gilibertum eadem qua prædictum Petrum via damnare attentabant. Sed nec eadem causa, nec similis erat materia. Iste enim ab adolescentia magnorum virorum discipline se subiiciens, magisque illorum ponderi, quam suo credens ingenio, qualis primo fuit Hilarius Pictauesis, post Bernardus Carnotensis, ad vltimum Anselmus & Radulphus Laudunenses Germani fratres, non leuem ab eis, sed grauem doctrinam hauserat, manu non subito ferule subducta, a scientia haud censura morum viteque grauitate discordante: non iocis vel ludicris, sed seriis rebus mentem applicarat. Hinc erat, ut tam gestu quam voce pondus seruans, sicut in factis, sic in dictis se ostenderet difficilem, ut nunquam puerilibus, vix autem eruditis & exercitatis quæ ab eo dicebantur, paterent animis. Is itaque primo Antisiodorum, post Parrisus vocatus est. Erant inter cetera quæ illi obiciebantur, de diuina maiestate quatuor capitula:

Dogmata Porretani.

Quod

*Quod videlicet assereret diuinam essentiam non esse Deum.
 Quod proprietates personarum non essent ipsa persona.
 Quod theologice persone in nulla predicarentur propositione.
 Quod diuina natura non esset incarnata. Et prater hac alia minora,
 id est:*

Quod meritum humanum attenuando, nullum mereri diceret prater Christum.

Quod ecclesie sacramenta euacuando, diceret nullum baptizari, nisi saluandum. & cetera in hunc modum:

Itaque presidente cum cardinalibus episcopis, aliisque viris venerabilibus & eruditis in iam dicta ciuitate Parisiis, summo pontifice Eugenio, predictus episcopus Gilibertus consistorio presentatur, de his capitulis responsum. Producentur contra eum duo magistri, Adam de Paruo ponte, vir subtilis & Parisiensis ecclesie canonicus recenter factus, Hugo de Campo florido, cancellarius regis; asserentibus eis, & quasi sub sacramento pollicentibus, se aliqua ex his de proprio eius ore audisse, non sine multorum qui aderant admiratione, viros magnos, & in ratione differendi exercitatos, pro argumento iuramentum asserre.

Testes aduersus Porretanum producti.

Ibidem dum hincinde multa sibi obiicerentur, plurimumque impulsationibus ad responsonem de re tam ineffabili cogere, inter cetera dixisse traditur: Audacter confiteor Patrem alio esse patrem, alio Deum, nec tamen esse hoc & hoc. Cuius dicti obscuritatem, tamquam verborum profanam nouitatem, tam impatienter magister Iosselinus Suesonensium episcopus excepit, ut, iuxta prouerbum, medium vitando incurreret ripam. Nondum enim auctoritatem illam Augustini legerat, vel fortassis lectam non intellexerat, qua de eodem Altissimo loqui gestiens, secreto inter cetera dicit: Sic aliud est Deo esse, aliud subsistere, sicut aliud Deo esse, aliud Patrem esse, vel Dominum esse. Quod enim est, ad se dicitur: Pater autem ad Filium, & Dominus ad seruientem creaturam. At ergo predictus episcopus: Quid est quod dicis, Esse Deum nihil est? Erat quippe quorundam in logica sententia, cum quis diceret, Socratem esse, nihil diceret. Quos presatus episcopus sectans, talem dicti usum haud premeditate ad theologiam verterat. Quo verbo omnium pene auditorum ab illo in se retorfit spicula. Post hoc sedato clamore, cum a circumstantibus rogaretur episcopus Gilibertus, ut quare in theologia personas intantum distingueret, aperire veller, breuiter respondit: Quia omnis persona est per se vna. Et ita, non sine magno multorum qui aderant stupore, Conuentus ea die soluitur.

Porretanus heresin suam profiteretur.

Porretanus rationem dat suae hereseos.

Alia rursus die in causam ductus, pulsatusque de nouitate dictionis, eo quod in prosa de sancta Trinitate tres personas tria singularia vocauerit, N. Rothomagensis archiepiscopus causam aggrauauit, dicens: Deum potius debere dici vnum singulare, quam tria singularia: non tamen sine multorum scandalo, cum Hilarius in libro de Synodis dicat: Sicut duos deos dicere profanum est, ita singularem & solitarium dicere sacrilegium est. Et idem in eodem: Nihil solitarium ex diuinis sacramentis ad suspicionem audientium, & ad occasionem blasphemantium proferramus.

Secundae sessionis acta quae.

Porretanus quo sensu dixerit tres personas in Trinitate esse tria singularia.

Episcopus vero Pictauiensis in prefatis dictis suis se habuisse simplicem Concil. Tom. 27.

sen sum testabatur, affirmans per singularia non theologicas personas, sed ipsarum excellentiam intellexisse, secundum quod antonomastice Paulum solemus vocare Apostolum, vel gloriosam Dei genitricem Virginem singularem: eo quod nec est, nec fuit, nec erit talis virgo, quae videlicet simul sit mater & virgo. Ea rationis proportionem trium personarum excellentiam se considerasse, cum tria singularia diceret, asserbat: cum nec sit nec fuerit, nec futurus sit talis Pater, qui scilicet sit Pater & Deus: atque in eundem modum talis Filius, talis Spiritus sanctus.

Causa Porretani differtur ad Concilium Rhemense.

Post hæc cap. 4. subiungit: *Dum ita per aliquot dies, iam saepe dictus episcopus coram summo pontifice de fide sua in ciuitate Parisiis discuteretur, sentiens papa, utpote vir cautus & religiosus, causæ difficultatem, protelandam eam usque ad vniuersale Concilium adiudicauit. Erat enim in proxima mediana quadragesima dominica apud illius Gallia metropolim Rhemis generale indictum Concilium.*

Gilbertus Porretanus describitur.

Quis fuerit Gilbertus, quo loco, quibusque parentibus ortus, enarrat cap. 46. his verbis: *Fuit illis in diebus in Aquitania Gallia ciuitate Pictaui episcopus Gilbertus nomine: hic ex eadem ciuitate oriundus, ab adolescentia usque ad ultimam senectutem in diuersis Gallia locis philosophia studium colens, re & nomine magistri officium administrarat, nouiterque ante hos dies ad culmen pontificale in prefata ciuitate sublimatus fuerat: consuetus ex ingenii subtilis magnitudine, ac rationum acumine, multa præter communem hominum morem dicere. Is igitur, cum quadam vice Conuentum de sua diocesi clericorum magnum celebrans, sermoni, quem forte gratia exhortandi habebat, quadam de fide sanctæ Trinitatis interfereret, a duobus archidiaconis suis Arnaldo & Calone, tamquam contra catholica normam ecclesie doctrinam instituens, ad summi pontificis Romanaeque sedis examen, interposita appellatione, vocatur. Sic utrique viam carpunt, Romanoque pontifici Eugenio ab Vrbe in Gallias tendenti, Senis ciuitate Tusciae occurrunt. Quibus Romanus antistes auditis, causaque via cognita, breuiter respondit, se Gallias introire, ibique de hoc verbo, eo quod propter literatorum virorum copiam ibidem manentium opportuniorem examinandi facultatem haberet, plenius velle cognoscere. Archidiaconi in Gallias redeunt, ac consulto Bernardo supra memorato abbate, eum in commodum causæ suæ aduersus episcopum declinant.*

Hæc Otto, qui plus æquo Giliberto fauit, & sancto Bernardo non nihil derogauit, iterum reuocauit, & censuræ ecclesie (teste Radeuico lib. 2. cap. 11.) moriturus subiecit: verba Radeuici ista sunt: *Hunc codicem, historiarum, manibus suis offerre præcepit, eumque literatis & religiosis viris tradidit, ut si quid pro sententia magistri Gilberti (ut patet in prioribus) dixisse visus esset, quod quempiam posset offendere, ad ipsorum arbitrium corrigeretur, seque catholicae fidei assertorem, iuxta sanctæ Romanae imo & vniuersalis ecclesie regulam, professus est.*